



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

20 Junii. 12. Kal. Julii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

20 Junii. 12. Kal. Julii.

Sancte Novate Presb. S. Pudens  
 senatoris Romani filii, S. Timothei,  
 & Sanctarum Pudentiana,  
 ac Praxedis frater: cujus no-  
 ginta sex capitum familia ab A-  
 postolis baptizata, & erudita caelo  
 est. Sancta domus, sancta familia,  
 sancti fratres, ac sorores! Jam estis  
 in domo aeternitatis vestrae. Vestra  
 domus templum facta est; vobis  
 vero caelum jam domus, & tem-  
 plum est. Orate, ut ita in hac mun-  
 di domo verber, tanquam in tem-  
 plo Dei; ita hic, usque ad mor-  
 tem, *benedicam Dominum in omni*  
*tempore*, ut post mortem, in domo  
 Dei, *benedicam Dominum in omni*  
*aeternitate*. Amen.

S. Silveri Papa, supra omnes hu-  
 manos respectus, altissimi & con-  
 stantis animi vir; qui ideò exul,  
 cum pane tribulationis, & aqua  
 angustiae sustentareris, extinctus es  
 post ærumnas, miraculis magnus.

SS. Paule, &amp; Cyriace, MM.

S. Macari Ep. pro fide Catholicâ  
 exul.S. Florentia Virgo, Sanctorum  
 Leandri, & Isidori Episcoporum  
 oror.

OMNES

524 ANNI CÆLESTIS  
OMNES SANCTI, &c.  
pag. 320.

S. MARIA, *cujus hodie imago à consolatione, & altera à miraculis dicta, Roma inclaruit: cujus Sponsi Josephi morientis dies ab aliquibus hodie celebratur. Impetra mihi, unâ cum Josepho tuo, hoc miraculum; ut fiam tandem serîo bonus: impetra mihi morienti illam consolationem, quâ tunc maximè indigebo!*

21 Junii. 11 Kal. Julii.

1 **B**eatissimè Aloyfi Gonzaga Marchio, immaculatum, per omnem vitam, absque ullâ lethiferi peccati labe, innocentissimæ virtutis exemplar; adolescentiæ magnæ, ad amorem Dei! qui MARIÆ openatus, illam in singulis scalarum gradibus ad sanctæ tuæ Catharinæ Senensis exemplum, parvulus Angelus salutabas; & sabbatino, crebròque aliàs, jejunio, refectioe tenuissimâ, quotidiano Officio, cilicio, cruentis flagris, calcaribus, catenulis te affligens, colebas; vel ad auditum MARIÆ, aut divini amoris, nomen, in teneras lacrymas fluentibus oculis, ardente vultu accensus: quam, die gloriosæ